



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 135. Famosi Calvinistarum libelli contra Franciæ reginem, eorumque confutatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

„interfuimus, ubi & post appositum, at-
 „que paschalis agni instar a singulis de-
 „gustatum porcum lactentem, sublato
 „lumine cuncti in vagam libidinem ef-
 „fusi sunt. „ Itaque hi accusatores ad
 Cardinalem Lotharingium deducuntur,
 qui illos coram Regina Matre sisti voluit,
 ubi mox quoque Advocatus, in cujus
 ædibus hæc conventicula fuere celebra-
 ta, unacum conjuge, & filia sua com-
 prenditur, eorumque audiuntur tes-
 tes, qui tamen mendacii, ac calumniæ
 convicti fuere: nec tamen propterea in-
 ultum remanebat eorum crimen, præ-
 valente adversus accusatorum innocen-
 tiam publico odio, quapropter ex iis,
 qui hisce conventibus intererant, plu-
 rimi in vincula coniecti fuere.

§. CXXXV.

*Famosi Calvinistarum libelli contra
 Franciæ regimen, eorumque con-
 futatio.*

Calvini Sectatores, quamvis ista cri-
 mina ipsis perperam imputata po-
 tius justa defensione, atque intra debi-
 tæ moderationis limites diluere debuif-
 sent, proterve infames prorsus libellos
 contra Reginæ, & Guisiorum Princi-
 pum auctoritatem divulgabant, petu-
 lanter effutientes, quod nullum eis Re-
 gnum

Sæcul XVI.
 A.C. 1559.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.

gnum administrandi jus suffragetur, sed hanc potestatem per viam, ac contra leges exclusis regii sanguinis Principibus usurpassent. Ergo Guisii ad sedandos seditiosos hosce rumores non jam verba, sed remedia magis efficacia adhibebant, & necessarium fore existimabant, quod potius ad suum ipsorum, quam Regis præsidium solitis excubiis etiam Italos adjungerent: cum vero hisce libellis etiam Reginæ Matris auctoritas suggillaretur, hinc Joannes Tilius Curiaæ Protonotarius juris Gallici apprime gnarus edito libello, cui de *Regis Majoritate* nomen indidit, frivolas hæreticorum rationes confutabat, ac pleraque statutorum municipalium capita compilabat, quibus demonstratur, apud Gallos tutelam fere ingruentibus pubertatis annis finiri, neque ultra decimum quintum annum extendi, ut sic semper licitum fuerit, ac liceat Regibus Franciæ in ea ætate illos, quos vellent, summæ rerum præficere, & consiliarios penes se habere. Dein prolatis pluribus exemplis demonstratum ibat, Regni tutelam non semper ad proximum agnatum delatam fuisse.

Porro postremum argumentum ab edicto Caroli V. Franciæ Regis petebat, addebatque, durum alioquin videri, quod Rex ad id, quod Regni legibus, ac per se
pos-

possit, externorum facere ac finitimorum arbitrio consilium sibi deligat: in eo haud obscure Protestantes fugillabat, qui Germaniæ Principes Confessionis Augustinæ socios sollicitaverant, ut se rebus Gallicis interponerent, eo fine, ut legitimum in Gallia consilium constitueretur. Postea insectabatur aperte Protestantes, atque inprimis illius scripti auctorem, quem Achitophelem alterum appellabat, necnon omnes horum tumultuum, ac rumorum Auctores, Ministrosque, ac tubicines seditionum nominabat, adversus quos tanquam Sectarios arma jure sumi posse dixit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1559.

§. CXXXVI.

Judicii acta contra Annam Burgum, ceterosque Senatores continuata.

Interea Guisii Principes nil magis efflicax, ut Catholicos ad sua studia pertraherent, censebant, quam si ab ipsis Annæ Burgi, ac ceterorum, qui carcere detinebantur, Senatorum causa urgeretur, cum se hoc facto vulgi gratiam captare, & invidiam de suo violento dominatu amoliri arbitrarentur.

Thuan. l. c.

Porro Burgus, cum se suorum judicium arbitrio relictum cerneret, porrecto libello supplici superioris Curiae Judices

Varillas hist.
de Fran. II.
p. 357. Et
juv.